

EXAMEN CENSURÆ

minus salventur. At de isto quæritur, non de hoc. Aliud est seduci, aut voluntate propria exire, deficere, deserere Pastorem, aliud Pastorū omnipotenti fideliter adhærentes per vim Pastorū eripi aut a Pastore abduci: hoc impossibile est; Istud fieri posse docet, ut alia jam non allegem, disertè Apostolus Petrus ij. Epist. cap. ij. vers. 18. cum dicit *esse qui per lascivas carnis cupiditates inescant eos qui* (NB.) *VERE effugerant eos, qui in errore versantur, adeò ut implicentur, &* superentur ab iis, & (NB.) regrediantur a sancto mandato sibi tradito, accidatq; iis, quod proverbio dici solet, *canis reversus est ad suum vomitum, & sus lota, ad volutabrum cœni.*

Si vero adversarij, inquit, agram illam & difficilem lapsorū restauratiōne referant ad eos, qui ad tempus crediderunt, &c. non solum dicimus id raro fieri solere, & difficulter admodū, sed, cū Apostolo, fieri nō posse ut renoventur per pœnitentiā. Cui certe ex diametro se opponunt, qui quod fieri non posse dicunt, fieri posse docent, et si raro aut difficulter. Speciosa oratio, sed prorsus ab omni vero inanis. Nam per eos, quos isthic describit Apostolus, intelligi eos, qui non fuerunt prædicti nisi fide temporaria, ut vocant, quæ specie a fide vera justificante sit distincta, alienissimum est a textu: quod præter alia indicia non pauca, nec levia, duo hæc argumenta docēt. I. Quia de illis disertè dicitur quod impossibile sit, ut renoventur non per pœnitentiam, ut Censor legit, sed ad resipiscientiam sive eis μετάνοιαν: Illà itaq; μετάνοια prædicti fuerint necesse est, ad quam eos renovari impossibile esse dicit Apostolus: Vera autem ac salutaris illa μετάνοια fuerit necesse est: Nam alioquin. I. cur ad eam renovari non possent quæ impiis & profanis aut hypocritis etiam communis esse creditur? II. quid in eo positum magni momenti foret, si Scriptor dicatur affirmasse eos non posse ad istam resipiscientiam renovari, ad quam, etiamsi renovarentur, tamen æternum damnandi non minus forent, quam si ad eam non renovarentur? II. Argumentum est, quia Scriptor de iis disertè affirmat, quod sibi iterum crucifigant Filium Dei, & ignominiae exponant, vel παραδειγματίσωσι: Ji itaq; intelliguntur, pro quibus Christus semel crucifixus est, quales Censor electos tantum esse vult. Iterum enim sibi crucifigere Filium Dei non possunt, nisi semel pro ipsis, id est, bono ipsorum, crucifixus fuerit, & fuisse agnoscatur: Alioquin, quod malum in crucifixione ista, aut quod ex ea damnum ad eos redit, quod antea ad eos non rediisset, etiamsi prolapsi non fuissent, aut Filium Dei sibi iterum non crucifixissent? Damnandi fuissent perinde uti nunc damnandi sunt. Dices, posito, hoc loco per eos,

Refellitur Cē.
foris exposi-
tio, qua locū
ad Hebr. vj. ex-
ponit de iis
qui nou nisi fi-
de temporaria
prædicti fue-
runt.